

ve sequutus est, sive transcripsit, Jacobum Herrenschmidt in Stre-  
nographiâ Rheticâ.

Dicunt itaq; vovendum esse Ecclesiæ Paradisum Adæ, Arcam Noe, Hortum Sponsæ Solomonæ, Columbam Petre, Rubum Prophetæ (Moysis) Candelabrum Zachariæ, Domum Rahabis Hierichuntinæ, Montem Davidis Psalmistæ, Imaginem Lunæ, & Amarantum Dipnologie. Recolite, quæ in anteloquio dicta fuere. Mores Ecclesiæ depinguntur, sors, fatum & officium, immò beneficium. Ornata sit Ecclesia & florida, salutaris atq; tuta, uritur, sed non comburitur, lucet, sed non semper fulget, receptat & conservat,

Fortior ut surgit duro sub pondere palma,

Sic magis accrescit duris Ecclesia rebus.

Ecclesiæ verò Præstitibus & Doctoribus offertur Noæ Columba, que non abiit nisi emissa, non cessavit nisi fatigata, non rediit nisi onusta; Jesaiæ buccina, ut intonent; Galli vigilantia, ut excitent; Ignei Carbonis præstantia, ut inflamentur; Johannis Baptistæ constantia, ut confirmentur; Christophori robur, ut patiantur; Cameli tolerantia, ut se inclinent; Angeli pictura, ut prædicent; Templi campana, ut clament; Pomi Medici gratia, ut sanent; & B. Lutheri rosa, ut in quâvis calamitate perdurent & æternam gloriam non tam spectent quam sperent.

Armat spina rosas, Christi crux dura Ministros

sic premit: at rosa dat flores, crux præmia præstat.

Auditoribus Verbi præprimis inculcandæ fuerint Indoles Ovicula, Gemitus Columba, Cantus Philomela, Sagacitas cervæ, & Juventus aquile. Verus nempe auditor simplex est & fœcundus, pœnitens & gemebundus, alacris & suavis, innocens & mitis: Clarus debet esse in visu, fortis in odoratu, & altus in volatu: Hæc enim sufficere possunt, ne addamus Monumentum statua, (nempe uxoris Loti quæ temporc Tertulliani

-- Duravit adhuc nudâ statione sub æthrâ  
nec pluviis dilapsa situ, nec diruta ventis)

Syco-